



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Consultatio XXIII. Quomodo incessanter haurire possimus è thesauris
meritorum Jesu Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509

profecta; mereris humiliari eorum privatione, si possidendo illa tibi ipsi adsciscere paras gloriam: tandem enim, quid habes, quod non accepisti?

Quando Deus coronat merita tua in caelo, propria sua coronat dona; sibi ipsi ergo potius, quam tibi administret iustitiam, cum merita, quae coronat, non à te, sed proveniant ab ipso. Sic omnia ex gratia habes; & hinc etiam ipsa vita aeterna vocatur gratia: *Gratia vita aeterna*. Nihil attribuamus no-

Rom. 6.

bis, permaneamus in nostro nihilo, ipsi soli gloria ex omnibus. Dum reservat sibi soli omnem gloriam, omnem nobis relinquit utilitatem. Ecce tibi infinitarum divitiarum thesauros, quos apertos tenet nobis, omnia haec merita nostra sunt, si capere volumus illa; hauriamus incessanter, nosque locupletemus. Sed quâ ratione id faciendum. Erit hoc argumentum consultationis sequentis, quae tota erit practica.

CONSULTATIO XXIII.

Quomodo incessanter haurire possimus è thesauris meritorum Jesu Christi.

Permissum est
quætere com-
moda nostra
spiritualia.

Dicant, quidquid voluerint, dari animas in intentione suâ adeò puras, ut agant absque ullo propriæ utilitatis intuitu; amamus nihilominus omnes utilitatem nostram, & amare debemus illam. Jesus Christus non condemnat desideria, quibus inardescunt avari accumulandi bona, nisi quia vilia nimis & abjecta sunt, dum inhiant pulveri terreno, cum opimiorum ac sublimiorum nancisci possent fortunam: suadet namque Apostolis suis, ut thesaurizent sibi thesauros in caelo,

ipsisque promittit aeternas divitias, si temporales, quas possederint, deserere voluerint, sui que amplecti sequelam. Vult igitur extimulare illos ad sublimiorem vitæ Christianæ perfectionem propriæ intuitu utilitatis, & ubi vis, ubi requirit servitia hominum, allicit illos promissione retributionum.

Tres habemus virtutes Theologicas, fidem, spem & charitatem, quas largitur nobis, dum peregrinamur in vita hac mortali, velut tres duces, ad deducendum nos ad patriam nostram cœlestem.

Quare Deus
largiatur nobis
virtutum
speci.

cœlestem, & omnes tres necessa-
ria sunt nobis. Una est velut fa-
cula, quæ nos illuminat, ad osten-
dendum nobis rectam veritatis
semitam, quam ambulare debeamus;
aliæ duæ duo sunt amo-
res, qui velut duo sacri ignes nos
accendant & exstimulant ad con-
quirendum nobis æternum re-
gnum Dei: una amare nos facit
Deum propter seipsum, & hæc
est charitas; & alia amare nos
ipsum facit propter nos ipsos, &
hæc est spes. Verum quidem est
perfectius esse amare ipsum pro-
pter seipsum, quam amare ip-
sum propter nos; nihilominus
verum quoque est, quod, si ma-
xima est perfectio amare Deum
propter se ipsum ex charitate,
etiam magna valde perfectio sit
amare ipsum propter nos ex spe:
tandem enim utraque pari ratio-
ne est virtus Theologica, &
quando Deus has nobis largitur,
vult nos ambas quoque exercere,
& ambas servire nobis ad salu-
tem nostram.

Charitas &
spes debent
esse insepara-
biles.

Fateor quidem, quod, qui
expellere vellet charitatem, non
amando Deum, nisi ob propria
sua commoda, enorme commit-
teret crimen; sed nonne crimen,
quodque committeret, si quis om-
nino expelleret spem è corde,
absque eo, quod amare ipsum
vellet, ad possidendum illum,
sub majoris obtentu perfectionis?
Verum sit, amorem hunc pro-

prii studiosum esse commodi,
sed commodum hoc optimum
est & sanctissimum, quod Deus
non solum permittit, sed nobis
quodque præcipit, ut illud ob
oculos ponamus nobis, cum u-
nam è tribus virtutibus Theo-
logicis hunc in finem nobis elar-
giatur, illamque ipsemet nutrire
ac fovere velit promittendo no-
bis coronas, & magnificentissi-
mas retributiones.

Quare ergo reliquit nobis in
Ecclesiâ suâ divitias infinitas,
quas acquisivit nobis morte suâ,
gratias suas, merita sua, divinas
satisfactiones suas, omnia dona
sua cœlestia, & inexhaustos the-
sauros suos nostris apertos ocu-
lis, è quibus ut hauriamus abun-
danter, iisdemque bonis suis nos
locupletemus, ipsemet nos invi-
tat; an hoc sit, quod nos velit
servire sibi absque ullo proprii
nostri intuitu commodi? Non-
ne videmus hoc unicum esse, cui nos docet
ipsemet omnem suam impende-
re operam toto vitæ suæ mor-
talis spatio? Et certè post prima-
rium gloriæ Dei Patris sui sco-
pum, aliò non collimavit in om-
nibus, quæ fecit & tulit in hoc
mundo, quam ut unicè laboraret
pro commoda salutis nostræ,
nosque veris vitæ æternæ locu-
pletaret divitiis. Induamus ipsius
spiritum, capiamus benè verum
ipsius animum; melius nil fa-
cere poterimus post primarium
D d d d & præ-

& præcipuum gloriæ Dei scopum, quàm indefessè laborare pro commo- & utilitate animæ nostræ, pro acquirendis vitæ æternæ bonis.

Jam in manibus tenemus inestimabilia hæc bona, & non advertimus; in terra acquiruntur, & in cælo possidentur; totam infinitam æternitatis habemus durationem ad possidendum illa; & non nisi parvum vitæ præsentis momentum habemus, ut illa acquiramus. Nihilominus tam improvidi & incauti sumus, ut insensibiliter id elabi permittentes de hoc nil cogitemus, nilque utiliter operemur; & non observamus infinitam, quam facimus, jacturam ex unico defectu nostro, cum tamen, si benè collocare & impendere vellemus cuncta momenta nostra, nec unicum ex illis futurum sit, quod tanti momenti non esset, ut inmensum æternæ gloriæ pondus compararet nobis. Siquidem hæc manifesta doctrina est magni Apostoli S. Pauli ad Corinthios scribentis: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloria pondus operatur in nobis.* Itane pro momento tribulationis, pro instanti laboris, æternum detur stipendium, cujus sit nobis incomprehensibilis magnitudo? Et nos scimus hoc verum esse, & esse articulum fidei, & nihil

Operari fideliter tempore momenti hujus pro æternitate.

2. Cor. 4.

leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloria pondus operatur in nobis. Itane pro momento tribulationis, pro instanti laboris, æternum detur stipendium, cujus sit nobis incomprehensibilis magnitudo? Et nos scimus hoc verum esse, & esse articulum fidei, & nihil

facere volumus. O stupiditatem deplorandam! O sævitiem intolerandam, quàm in nos ipsos exercemus!

Verum est, non omnes hæc percelli cæcitate; reperire est animas, quibus cum Deus detexerit pulchritudinem bonorum suorum cælestium, & ipsæ remedium facile ac continuum habeant in manibus illorum ad eundi possessionem, tam ardentibus acquirendi illa accenduntur desiderii, ut avarissimis quibusque in mundo ardentius desiderium non sit coacervandi pulverem bonorum suorum temporalium, quàm sit illis sine intermissione accumulandi magnum valde thesaurum verorum bonorum æternalium. Sæpius dicentem audivi optimum Dei famulum, qui exstimulavit sese intuitu laboris, quem exantiant mundi affectæ ad assequendas, sibi que comparandas vanitates suas: Itane videam, impensè omnes suam navare operam, ut peramplis se locupletent fortunæ muneribus, hunc in aula, illum in foro, istum in bello, alium in mercaturâ, aliquos in mari, nonnullos in terra, laborare omnes, ut se magnificent, seque gazis repleant; & ego meæ quoque non intendam, non invigilem fortunæ? Intendam & invigilabo sicut illi, quin & illis melius, id faciendi exploratum mihi est me-

Inveniuntur animæ sanctæ avaræ.

Christianus fortunæ suæ invigilet.

medium, tam bene res agam meas, ut nec momentum meæ abiturum sit vitæ, quo non adeam possessionem thesauri, qui majoris longè erit pretii, quàm illa omnia, quæ omnes simul acquirere sibi possent totius suæ curricula vitæ.

Interrogavi ipsum, quomodo facies? Et desuper instituius colloquium, quod trahebat post se tum voluptatem, tum utilitatem, quæ haberi possit, maximam, circa facilitatem mediocrium, quæ habemus ditandi nos indies, cunctis horis, singulis momentis magno meritorum cumulo, quæ inservient nobis ad comparanda vera æternitatis bona. Nonne habemus, dicebat mihi, inexhaustos meritorum Jesu Christi thesauros, qui nunquam non aperti sunt nobis? Quid nobis obstat, ne inseramus manus & capiamus inde, quantum volumus? Consideraveram penitus aliàs illa scripturæ verba, quæ legeram in Vate Isaia: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus*

Salvatoris; Et cogitabam de gaudio, quo perfunditur aliquis exastuans siti, quando pulchrum quemdam invenit fontem, revocans in mentem longè majus gaudium, quo delinitur anima, quæ æternorum avida bonorum, currit ad fontes Salvatoris, cum auspiciatam reperiendi illos nacta fuerit sortem.

Amabilissime Salvator mi, ubi ergò sunt fontes tui? ostende mihi illos, ut hauriens ex illis extinguam sitim meam. Videtur mihi, quòd præcipuè quatuor mihi designet, quos si accessero, omnes suis gratiis, suisque meritis inveniam refertos. Primus, bona nostra sunt opera: Secundus, passionis & cruce nostræ: Tertius, nostræ preces & orationes: Quartus, bonus usus sacramentorum. Invisamus ipsos omnes successivè, dicebam ipsi, ut melius illorum cognoscamus valorem, & æternorum bonorum, quæ inde haurire possumus, abundantiam.

Facilia media, quibus Christianus fortunam suam promove potest.

Ita. 12.

ARGUMENTUM.

Abundanter participare possumus ex meritis Jesu Christi per bona nostra opera.

ARTICULUS I.

Bona anima non facit, nisi bona opera.

OMnes fructus bonæ arboris sunt fructus boni; & omnes actiones bonæ animæ sunt

opera bona. Jam non est unicum opus bonum, quod non habeat meritum suum, valorem suum.

Dddd 2

suum,

suum, aliàs bonum non esset. Sequitur ergò, quòd, dum multiplicat actiones suas, multiplicet etiam bona opera sua, & merita sua, quòdque hâc ratione, non esset locupletare se in omnibus, quæ facit.

Et itane? dixi ipsi, non distinguis inter actiones ipsius ordinarias, & bona ipsius opera? Intellico probè, quòd, dum facit elemosynas, jejumat, dum frequentat Xenodochia & ergastula, visitatù & consolatum afflictos, bona faciat opera. Sed quando ordinarias vitæ humanæ conficit actiones, quando laborat, quando quiescit, quando curat res domesticas, vel etiam publicas, quando agit cum proximo & temporalia tractat negotia, quando obambulat, seque recreat, quando bibit & manducat. Et tandem quando innumeras indifferentes, quibus vitæ humanæ inundat cursus, obit & perficit actiones; an appelles has bona opera, quibus suum correspondeat meritum? An nullum collocas discrimen inter magnas, mediocres & parvas, quas oportet facere, actiones?

Magna est differentia inter bonas nostras actiones & in quo consistat.

Colloco equidem inter illas discrimen vel maximum, respondit mihi, sed hoc esse non potest, eâ, quâ putas ratione. Non voco id magnum, quod magnum videtur, nec parvum, quod parvum apparet in actionibus, quas

indies conficimus; neque etiam intelligo, quòd valor vel meritum desumatur ab actionum nostrarum vel magnitudine vel parvitate. Et ut tibi desuper meam explanem Philosophiam, teneo, meæ conformiter sententiæ, quam stabilio per id, quod addidici ex Theologiâ & sanctis Patribus, quatuor veritates velut certas, firmas ac solidas.

Primâ, quòd nec unica sit actio humana, parva vel mediocris, vel quævis pro arbitrio tuo maxima, quæ considerata in seip-
Quatuor pulchra regulæ adjudicanda bene de nostris operibus. Regula primâ.
 sa in quantum est actio hominis, habeat aliquod meritum coram Deo; intelligo meritum illud supernaturale, quod respicit vitam æternam. Sic pone mihi ob oculos omnia trophæa Cæsarum, omnes Victorias Heroum, omnia machinamenta roboris, animi, generositatis, quæ cunctis sæculis præteritis fuere admirationi: adijunge omnes actiones purè naturales, quæ à creatione mundi ab omnibus confectæ sunt hominibus, quæque maximo exceptæ sunt applausu: Omnia hæc tanti non sunt ponderis, quanti unicus hujus meriti, de quo loquimur, ætomus in statera Dei.

Secunda, quòd plerumque plus vilitatis, indignitatis & abjectionis complectantur mundi actiones maximæ, quàm minimæ, eòquòd inveniatur in illis plus
Regula secunda.

plus amoris proprii, plus vanitatis, plus injustitiæ, plus oppositionis, quæ oppugnat Spiritum Dei. Omnes hi defectus quasi semper comitantur actiones magnas, quas ob splendorem suum admiratur mundus, cum contra multò minores & pauciores invenire sit in actionibus mediocribus & usitatis, quas tanti non pendit nec æstimat mundus. Sic illud, quod apud mundum magno est loco & dignum laude, parvi penditur à Deo, dignumque censetur despiciatu.

Regula tertia. Tertia, quòd actiones nostræ metiendæ non sint nec à suâ magnitudine, nec à suo splendore, nec à suo pondere, nec à sua duratione, nec ab omni eo, quod à nobis videtur, ad judicandum, quænam reipsâ maximæ sint in seipsis, sed secundum id, quòd factæ sint juxta dispositionem Dei, cujus providentia, quæ etiam minima quæque gubernat, valdè diversas vult & requirit actiones ab hominibus, juxta status & condiciones diversas, quibus inservit ipsos. Hinc sicut illud, quod nullatenus vult Deus, exempli gratiâ peccatum, nihil omninò bonitatis habet ac valoris; sic id, quod magis vult Deus, majoris bonitatis est & excellentiæ: Et juxta hanc regulam, quando David custodiebat greges suos in pueritia sua, majoris præstantiæ hæc fuit actio, quam

quando numerari fecit totum populum suum factus jam Rex. Et vera hujus est ratio, quòd Deus ab eo voluerit unum & non voluerit alterum.

Et quarta denique est, quòd quidquid valoris est vel meriti in nostris actionibus, non nos ipsi collocaverimus illuc, sed à Deo receperimus, ut illuc collocaremus. Eheu! quid habemus à nobis ipsis, quod non purè humanum sit, vile & imperfectissimum? Sed id omne, quod aliquid participat ex magnitudine & sanctitate infinitâ Dei, habet omnem valorem, & omne meritum, quod is illi vult dare, neque plus neque minus. Ex hoc sequitur, quòd quanto minus à nobis est, & quanto plus à Deo in operibus nostris bonis, tantò illa excellentiora sint ac magis meritoria; & consequenter Deo soli ex eo omnis refundenda sit gloria, cum ipse solus donaverit illis id omne, quidquid ibi invenitur boni, nobisque nil debeatur, nisi contemptus & humiliatio, cum nos soli tribuamus illis omnem defectum ac imperfectionem, quæ ibi reperiri possit.

Assentior in hoc, dicebam ipsi, congruè rationi videntur regulæ tuæ. Sed stantibus his omnibus, quomodo declarabis mihi, quod dixisti ab initio, omnes actiones bonæ animæ esse operaria.

meritoria? Si adhuc diceret, ipsam plura illorum facere, quæ meritoria sint, mereretur forsan assensum: Sed omnia, citra id, quod attendas, ipsam innumera facere, quæ nullius sint momenti, & alia, quæ necessaria sint ad sustentationem vitæ humanæ, & plurima ejusdem naturæ cum illis, quæ faciunt infideles & maximi inimici Dei: (benè intelligo, quod his accensere non velis peccata, sed solum actiones, quæ ex se ipsis malæ non sunt) quis sibi persuadeat, bonam animam ex his omnibus haurire posse valorem meriti, qui vitâ dignus sit æternâ?

Tres conditiones necessariorum ad faciendum bonum opus,

Ecce tibi, quo persuaderi debeas, respondit mihi. Theologi non nisi tres requirunt conditiones præcipuas in aliqua actione, ut meritoria fiat vitæ æternæ. Prima, ut sit aliquo modo bona ex seipsâ. Jam ipsa semper talis est, quando non est mala, id est, quando non est prohibita à Deo; de cætero, sive maxima sit, sive minima, hæ differentia minoris considerationis sunt coram Deo, quàm sint omnes actiones alicujus formicæ respectu potentis cujusdam Monarchæ: Non petit ipse actiones nostras, sed cor nostrum, quod pro se fecit, quodque ipsi summè placet, quando divino suo inflammatur amore. Secunda conditio est, ut actio fiat à persona constituta in gra-

tia Dei, eòquod gratia, quæ sanctificat animam, adoptet hominem in Filium Dei & actiones hujus filii suo placeant Patri cœlesti: quicunque est extra hunc statum, est in statu peccati mortalis; & in miserabili hoc statu quidquid facit, habere non potest meritum, quamvis excellentissimam ex se ipsâ conficeret actionem. Et pro tertiâ conditione requirunt, ut actio fiat ex vero motivo placendi Deo, vel amandi Deum, vel glorificandi illum; vel faciendi divinam ipsius voluntatem, quæ omnia sunt idem; affirmantque bonam hanc intentionem esse id, quod maxime considerari debeat in cunctis operibus nostris; siquidem illa dirigere ad Deum, est velut munus, quod propriâ quis manu ipsius imponeret Altari.

Examina nunc & videbis, nec unicam esse actionem in tota vita bonæ alicujus animæ, quæ habere non possit omnes hæc tres condiciones, solo peccato excepto: & consequenter certum est, nec unicam esse, quæ habere non possit valorem ac meritum, quo digna reddatur pro sua retributione accipere vitam æternam.

Itane ergo? aliquis vinitor merebitur paradysum, eòquod suas coluerit vineam; & aliquis opifex, eòquod in sua taberna artis suæ confecerit opus; & aliquis famulus, eòquod suum discal-

Actiones, quas mundus contemnit, habent meritum coram Deo.

discalceaverit herum; & aliquis homo, eòquòd in suo obambulaverit horto, & aliquem decerpserit florem; & ille alter, eòquòd manducando & bibendo suæ satisfecerit necessitati; & aliqua fœmina, eòquòd rei suæ domesticæ curaverit & administraverit minutias? Et quæ excellentia, & quis valor observari possit in omnibus hisce abjectis actionibus, quas nihili æstimat mundus, unde sibi quis persuadeat, illas dignas esse possessione boni infiniti? unde ipsis hoc pondus & ingens hoc meritum? videtur id omnem sanam offendere mentem.

Verum est, fatebatur mihi, quòd si judicium feratur juxta regulas sapientiæ humanæ, videri ridiculum, si dicatur, actionem, quæ nullius est teruncii, adæquare pretio regnum in æternitate. Sed nonne jam dixi tibi, considerandam non esse magnitudinem vel parvitatem actionum nostrarum ex seipsis, in quantum proficiuntur à nobis, eòquòd ratione pari nullius valoris sint omnes. Moderari imperium vel plantare herbam, sunt actiones duæ judicio nostro valdè inæquales; nihilominus æqualiter nihil sunt coram Deo respectu meriti supernaturalis. Sed Deus nonne ex hoc nihilo facere potest id omne, quod voluerit, qui ex eodem nihilo

creavit Angelos & pulverem terræ, juxta gradum esse naturalis, quem suis conferre voluit creaturis? Nonne ex abjecto nihilo minimarum nostrarum actionum prodigiosa conficere poterit magnalia, quæ æternæ gloriæ mereantur coronas juxta gradum gratiæ, meriti & esse supernaturalis, quem illis voluerit conferre?

Quæris, quomodo hoc faciat? Considera, quòd omnes divinas suas divitias contineat in thesauris suis: ibi sunt omnes ipsius gratiæ, & omnia ipsius merita, distribuit hæc, cui placuerit, & quantum sibi placuerit: si plus gratiæ largiatur animæ pauperis alicujus famuli, ipsique tribuat, ut minimam suam actionem majori perficiat cum amore, quam ipsius faciat herus magnificam exstruendo Ecclesiam, vel dimidium bonorum suorum distribuendo pauperibus: simplex actio servi, quæ despicabilis videtur, major est coram Deo, quam illa heri sui tanto effulgurans splendore: siquidem nihil omnino valoris ac meriti est in operibus nostris, nisi quod Deus collocaverit illuc è divinis thesauris suis, cum impossibile nobis sit illuc vel unicum duntaxat illius collocare atomum à nobis; & ipse indiscriminatim collocare potest tam in minimas, quam actio-

Minima actio
servi, majoris
est potest va-
loris, quam
maxima, sui
heri.

Deceptio sa-
pientiæ hu-
manæ,

actiones maximas, quantum placuerit sibi.

Sæpè notatur plus amoris in parvis, quam magnis rebus.

Verùm an esse posset, me plus habere gratiæ, plus amoris Dei, & plus meriti obambulando ad recreandum me, quam jejunando ad macerandum corpus meum? sinè dubio hoc esse posset. Itanè? plus inserviando pauperi in Xenodochio, quam mitrati præfulatûs officio totam quamdam moderando ditionem? haud dubiè id poterit esse. Et aliquid ampliùs adhuc vobis dico, benè obeundo actiones minimas nos sapiùs majorem demonstrare amorem Dei, quam exantlando maximas. Non dixero, hominem aliquem admòdum esse avarum, aut ardenti desiderio inhiare divitiis, si videro invigilare ipsum sollicitè magnæ cujusdam summæ, quæ suum concernat & spectet emolumentum; sed si videro, quòd solerter curet res minimas, quòd & pro acu accuratè cuncta agat, quòd etiam pro denario acriter disceptet, litèmq; moveat; haud evidentius requiram indicium, unde videam, vehementissimâ ipsi accumulandi facultates ardere cupiditate.

Similiter, quando anima Christiana præcipuas suas adimplet partes, & maximas, quas exantlat, offerre studet actiones Deo, nonnisi mediocrem arguit amorem intus in corde gliscentem:

Verùm si contendat & attendat anxie, ut actiones suas minimas faciat ad placendum Deo; si nihil intermittere curet ex omnibus, quæ Deo crediderit fore accepta, illaque omnia perficere studeat cum maximo amore Dei: quis diffitebitur, quòd ostendat ex his, habere se multum gratiæ, multumque amoris, & consequenter per parvas hæc actiones, quæ nihili esse videntur, maximis ipsam accumulari meritis?

Reddere alicui communia urbanitatis & benevolentia obsequia, nonnisi mediocrem portendit & ostendit amicitia effectum, sed excogitare media, invenire modos, quibus serviat amico, quibus demulceat ipsum, quorum non meminisset alius, haud obscura singularis & intimæ amicitia est nota; & sapiùs quòque hæc magis obstringunt & lucrantur animos, quam obsequia magna, eòquòd majorem, magisque officiosum denotent amorem. Reperire est animas, quæ hæc ratione rebus invigilant minimis, in quibus credunt obsequium se posse præstare Deo. O quam acceptæ sunt illi, quamque luculentum perfecti amoris ipsius præbent argumentum!

Cum res ita habeat, dicebam ipsi, ô Deus! quam solidum cunctis Christianis solatium!
Haud

Nonnisi magni amici habent curam rerum minimarum.

Quilibet in
statu suo ex
omnibus a-
ctionibus suis
facere potest
bona opera.

Haud enim est opus ad facien-
dum bona opera, suam magnis
actionibus navare operam, quæ
directè respiciant pietatem; ve-
luti sunt orationes, eleemosynæ,
jejunia, & alæ ejusmodi, cõ-
quod ex omnibus vitæ humanæ
actionibus, etiam vilissimis &
usitatissimis bona confici possint
opera. Hæc ratione dicere quivis
potest intra semetipsum: Con-
tensus sum assignatâ mihi à Deo
conditione, hæc tam est com-
moda ad comparandam meam
salutem, quàm quævis alia vitæ,
cùm ex omnibus actionibus
meis totidem possim efficere
opera bona, quæ vitam merean-
tur æternam: Contentus sum,
non esse ditatum me magnis na-
turæ donis, nec eâ instructum
facultate, ut egregia & præclara
exantlare & exequi possim faci-
nora, eodquod non attendantur
hæc, omnisque valor, ac omne
actionis meritum suam trahat
mensuram à gratia & amore Dei,
cujus tandundem & plus habere
mihi licet in actione minima,
quàm in splendidissima, pluri-
mumque honoratâ. Perinde er-
gò mihi est, quascunque confi-
ciam actiones, sive magnas sive
parvas; non enim in hoc invi-
gilandum est mihi, sed solùm-
modo, ut omnes illas, qualescunque
sint, perficiam magnâ cum ani-
mi puritate, nec minori cum
amore Dei; & hoc sufficit ad

promerendum vitam æternam.
An quidquam sit magis conso-
latorium, magisque idoneum
ad conferendum maximam cun-
ctis animabus quietem?

Ita est, replicabat mihi. Sed ^{Fallax imagi-}
plurimi nunquam non credunt, ^{natio, quæ}
quod nonnisi exiles perficiendo ^{decipit pluri-}
actiones, faciant nihil; persuasi ^{mos bonos,}
insuper, se perdere parum illud,
quod faciunt boni, eodquod non
meminerint semper actualiter
offerre id Deo, idque perficere
per actum amoris Dei præsen-
tem. Naturales animi evaga-
tiones & creaturarum tumultus
distrahunt ipsos, ipsisque aliquan-
do per longius tempus subtra-
hunt memoriam Dei; & ipsi
putant, omnia esse perditâ, eod-
quod illa, quæ ita perficiunt, om-
ni careant merito; & certè hoc
eos affligit plurimum, ipsosque
reddit pusillanimes; sed hoc ideo
est, quod benè informati non sint
de veritate; res enim sæpenu-
merò prorsus accidit ex opposi-
to, cùm quasi non fiant magnæ
actiones coram Deo, nisi quan-
do parvæ videntur coram homi-
nibus. Plerique hominum plu-
rimi æstimant munera magis
sublimia, actionesque magis
splendidas, quæ fiunt ab iis, qui
in magna constituti sunt digni-
tate: oculere hoc quidem stu-
dent sub obtentu majoris glo-
riæ Dei, verum haud leviter de-
cipiuntur: cùm profectò crea-
tura

Ecccc

turæ

Melius est occupare se rebus, quæ minoris æstimatione.

turæ quærant gloriam, & à proprio obcœcentur amore; siquidem major Dei gloria melius invenitur in majori nostri humiliatione. Et si credant adhuc, quòd magna hæc existimatio, quæ præferuntur actiones illustres, magnūque excitantes rumorem, actionibus parvis, quarum nulla sit mentio, sit causa, quòd multum boni fiat, & magnum inde meritum colligatur; decipiunt se valde, cum sapius actiones magnæ, quæ multum splendoris habent, eò quòd non ita purè fiant propter Deum, sicut illa, quæ nihil habent lucis, longè minus habeant meriti.

Ut faciamus bonum, nil aliud curandum nobis foret, nisi ut benè & perfectè omnes nostras perficiamus actiones, absque eo quòd attendamus, an parvæ sint, vel magnæ. Sed posito, quòd discernendum foret, an potiùs amplectendæ sint hæ, quàm illæ, melius esset eligere magis abjectas, illasque anteferre splendidioribus, eò quòd gratia & purus spiritus Dei magis conservetur in his, minusque sit periculi amore proprio evertendi & destruendi illum. Sic timor, ne faciamus quidquam, quòd alicujus sit valoris, quando non nisi viles conficimus actiones, impedire & retinere neminem debet, cum ipsæ benè à nobis factæ, tanto magis æstimentur à Deo, quanto

magis despiciuntur ab hominibus.

Ita in hoc consistit maxima difficultas; sed majori percellit timore, quòd constet, requiri ad faciendum bonum opus intentionem, perficiendi illud propter Deum: Et plerique conqueruntur de hoc, quòd quasi omnes suas perdant actiones, ex eo, quòd bonam hanc non habeant intentionem, nec meminerint illas offerre Deo. Et ecce tormentum, quod innumeras bonas affligit in mundo animas. Sed quàm facile est illis impendere consolationem, si benè comprehendant maximum & prorsus eximium vitæ interioris arcanum, quod plurimi non observant.

Verum est, requiri intentionem suam propter Deum, ut bona sit & meritoria. Sed hæc bonitas non consistit in cogitatione, nec in reminiscencia, neque in alio discursu intellectus, & consequenter verè haberi potest intentio faciendi opus nostrum propter Deum, quin de Deo cogitemus: bona intentio spectat ad voluntatem, uti dicit S. Thomas: Verum est etiam, quòd ipsa non sit tam voluntatis actus, quàm certa quædam voluntatis dispositio, quæ consistit in hoc, quòd, cum ipsa sit domina, quæ moderatur & gubernat omnia in nostra anima, ipsamque

Quid sit dirigere intentionem suam, ad faciendum opus meritorium.

D. Thom. q. 12, a. 1.

que operari & agere facit in omnibus, ipsamet etiam dirigatur ab actione quadam præcipuâ & fortiori omnibus aliis, quæ trahat ipsam & operari in omnibus, citra quod de hoc cogitet, vel id ipsum advertat. Et ecce proprie, quid sit vera ipsius intentio; siquidem hoc est, quod quærit, quodque ipsam agere facit in omnibus operibus ipsius.

Exemplum
cujusdam avari
declarat
bonam intentionem,

Res est clara in exemplo magni cujusdam avari: Voluntas ipsius regitur à maximo quodam divitiarum amore: Ecce pondus ipsius, & ecce etiam veram intentionem, quæ operari facit ipsam in omnibus. Quæris, quænam sit intentio hujus hominis in omnibus, quæ facit, in omnibus, quæ dicit, in omnibus, quæ cogitat, in omnibus, quæ negotiatur. Nonne semper est, ut coacervet & accumularet bona? Non est opus, ut de hoc cogitet, non requiritur, ut illud dicat, nec nova circa hoc formet proposita; ipsius intentio est semper eadem; ipsa est pondus firmiter fixum & stabilitum in voluntate illius, quæ trahit ipsam in omnibus, quæ facit; & quando etiam cogitaret, quod non habeat intentionem se locupletandi, & quando id diceret omnibus, & quando levem quemdam adhiberet voluntatis conatum, ut illud non vellet: hoc non impediret, quin vera ipsius intentio semper sit coacervandi bona; quoad amor divitiarum

prædominans in ipsius voluntate est affectus.

Sic igitur, postquam anima verè stabilivit imperium amoris Dei in corde suo; quando verum est, ipsam summè amare Deum, & ex toto corde suo, sicut primum & maximum legis mandatum indispensabiliter exigit ab ea, quando ipsa amat Deum suum, sicut avarus suas amat divitias: certum est, quod vera voluntatis ipsius intentio sit, faciendi omnia, quæ facit propter Deum & ex amore Dei, utque placeat ipsi, absque eo, quod de hoc actualiter cogitet, & absque eo, quod actuale de hoc efformet propositum. Siquidem amor Dei est cordi ipsius, quod pondus est horologio, à quo moventur omnes ipsius rotæ, & à quo diriguntur omnes ipsius motus, quin aliquis de hoc cogitet, vel quod alio sit opus, quam relinquere actionem ponderi illud trahenti.

Amor est
pondus cordis,
& hic est
vera intentio
faciens operari omnia.

Verum quidem est, quod sicut requiritur indies attollere & denudò sursum attrahere pondera horologii, si velimus, ut semper ordinate procedat; sic quoque renovare oporteat & sapius confirmare firmam hanc & constantem unicè vivendi Deo voluntatem, & faciendi omnia ex amore ipsius, conando, ut bona hæc intentio semper altius attollatur, ipsaque sine intermissione magis roboretur; & hoc quasi
Eeeee 2 est

Quomodo
& quare sæpè
renovanda sit
intentio.

est reddere pondera horologii semper magis graviora, ut celeriori id evolvatur decursu. Et hoc posito, nec unicum solum bonum opus perditur in tota vita bonæ alicujus animæ; omnia sunt sancta, omnia meritorum plena, edquod omnia fiant propter Deum, quamvis ipsa non semper actualiter recordetur Dei; amor ipsius, qui est pondus ipsius, incessanter impellit ipsam ad eum, & omnes dies ip-

sus pleni sunt meritis: Dies pleni inveniuntur in eis: Quando non haberemus nisi hunc unicum Salvatoris fontem apertum, ad hauriendum ex eo ipsius merita, ipsius gratias, per bona nostra opera, sufficeret hoc nobis semper, ad nos locupletandum. Sed habemus adhuc alium, nempe cruce & afflictiones nostras. Eamus spectatum ipsum.

ARGUMENTUM.

*Locupletare nos possumus meritis Jesu Christi per Cruces
& afflictiones nostras.*

ARTICULUS II.

Jesu Christus demonstravit nobis majorem charitatem, patiendo quam agendo pro nobis.

Coram hominibus agere plus est, quam pati, sed coram Deo pati malum, plus est, quam agere bonum. Nonne videmus, quod, quamvis Jesus Christus nobis maximum demonstraverit amorem per omnes actiones suas, nihilominus longè majorem ostenderit nobis per passionem suam. Et licet multa fecerit, ac multa meruerit pro salutem nostram, agendo pro nobis, nihilominus amor ipsius non triumphavit in tota virtute sua, nec merita ipsius summum assecuta sunt fastidium, quam quando ad extremam agendi redactus est impotentiam, manus ac pedes confixos habens in Cruce, ita ut vix amplius aliquid posset agere;

sed in statu, quo toleravit omnia ex amore erga nos. Unicum hoc momentum extremarum afflictionum mortis ipsius, pretiosius est, magisque admirabile, quam omnes totius vitæ ipsius actiones.

Hoc nos docet, nobisque luculenter demonstrat, quod meritum affixum non sit solis operibus bonis, quæ agimus; sed verè id etiam sit in cruce & afflictionibus, quas patimur ex amore Dei; quodque adhuc nunquam possumus tantum mereri, faciendo bonum, quantum meremur patiendo malum. O Deus! si hæc veritas benè insculperetur animo cunctorum bonorum hominum, hæcque firmiter credere-

Majus est meritum in patiendo malum, quam agendo bonum.

deretur ab ipsis; quam admirabiles produceret in eis effectus, quibus privantur, quòd illam cordi suo non profundè circumferant insculptam?

Siquidem imprimis, cum omnes teneantur desiderio suam operandi salutem, plerique conqueruntur de eo, quòd nihil faciant pro Deo, eòquòd non satis invigilent & bonis studeant operibus, hi ex impotentia, illi ex defectu temporis, alii, quia millenis obruantur impedimentis, & propterea destituuntur animo, & credunt totam vitam suam non tantum inutiliter, sed etiam dilabi miserabiliter. Si probè nòscent, quòd melior vitæ justorum pars non consistat in agendo bonum, sed patiendo malum; quòdque non minus promoveatur opus salutis nostræ, aliud nil agendo, nisi quòd patiamur, quam plurima exercendo bona opera; quòdque ex opposito certum sit, plerumque plus veri esse meriti in tolerando malum, quam faciendo bonum: consolati forent & repleti gaudio, quia crederent, sibi nunquam esse melius, quam dum putant sibi esse malè & pessimè.

Magis gaudendum est nobis, dum patimur quam dum operamur bonum.

Ulteriùs, cum nemo sit in mundo, aliqualem habens zelum pro salute suà, qui non demulceatur gaudio, dum obtinet à Deo gratiam bona quædam faciendi opera; & quantò illorum facit

plura, tantò majori perfunditur solatio, quamvis non modicum in ipsis inveniatur laboris; eòquòd sentiat nescio quem occultum conscientia suæ applausum, à bonis operibus omninò inseparabilem, sicut econtra inseparabilis est ab operibus malis interior exprobratio, increpatio, reprehensio: si quis persuasum sibi haberet, se melius promovere opus salutis suæ, portando crucem suam, seque obrutum videndo miseris & afflictionibus, quam plura perficiendo bona opera; plus etiam experiretur gaudii spiritualis & solidæ consolationis in anima sua, patiendo malum, quam faciendo bonum. Nihilominus jucundamur, dum agimus bonum, & tristamur, dum patimur malum, ex falsa imaginatione, quòd illud nostram promoveat salutem, & hoc retardet illam: & ex adverso comparamus & lucratur nobis longè plura tolerando malum, quam operando bonum: & si non sentiamus testimonium hoc conscientia & interior hoc gaudium in cruce, sicut in exercitio bonorum operum, aliunde non est, nisi quòd satis non credamus, id verum esse. Bone Deus! qui benè insculpere posset veritatem hanc animabus bonorum hominum, qui plerumque magis obruti sunt afflictionibus, quam consolatos semper videret ipsos, utpote sapius

me-
pa-
a-
m

pius afflictos & calamitatibus oppressos?

Via cœli securior est & facilior per afflictiones, quàm per bona opera.

Porro via salutis, & modus locupletandi nos copiosis meritis longè facilior est & certior per afflictiones, quàm per exercitium bonorum operum. Non omnes facultatem habent multa operandi bona; sed nemo est, cui desit facultas tolerandi malum; non semper adest nobis occasio faciendi bonum; sed occasio patiendi malum, nunquam desit nobis; siquidem omni ex parte adoriuntur nos Cruces, & undequaque adveniant, sunt optimæ. Quando agimus bonum, timendus nobis est amor proprius, vel vana gloria, à quibus sæpius magna strages infertur bonis nostris operibus, dum illa omni exspoliant merito: sed quando patimur malum, procul abest, ut vel amor proprius vel vana gloria nobis struat insidias; & ideo de non perdendo merito longè magis in hoc sumus securi.

Magna consolatio pro omnibus afflictis.

Quanta consolatio bonæ animæ, quamvis pauperrima sit & miserrima, quando dicere potest: Verum est, me nihil boni agere eum nec facultatem ad id habeam, nec capacitatem; sed per gratiam Dei patior & tolero malum. Non doleo, quòd impotentem me videam ad patrandum multa & magna bona, sicut patrare video alios multos naturæ donis, ingenio, auctoritate, bo-

nis, sanitate instructos; cùmque his omnibus bonum faciendi mediis destituar, nec minimum illorum conficere mihi licet: sed propterea non affligor; nunquam non beatam me credam, modò detur mihi pati malum: novi enim, si iisdem instructus fuero dispositionibus, quæ requiruntur ad conficiendum bona opera; id est, si anima mea immunis fuerit à peccato, & in statu gratiæ; si pati voluero malum, sicut vellem operari bonum ex amore Dei, me non solum lucrari tantum, sed acquirere multò plus tolerando mala, quàm faciendo bona.

Hoc bonum foret, dicis mihi, si quis pateretur benè, sed non benè ego patior. Quare inprimis afflictiones meæ non sunt voluntariæ: siquidem non ego aucupor illas, sed ipsæ aliunde invitum me occupant, & nolens oneror illis. Quid meriti hauriam ex eo quod voluntarie non assumo? Secundò non tolero illas cum patientiâ; maximam enim semper experior repugnantiam, ita ut sæpius etiam in querelas erumpam, & nullam non moveo lapidem, ut meam à me amoveam afflictionem. Et denique despondeo animum, dum afflictionibus & miseriis me intueor oppressum, relinquo omnia, nec quidquam boni peragere possum, immò nec precari Deum,

Qui patiuntur, semper putant, se non benè pati.

Ex
ad
JE
no
me
pat
me

Deum. Videtur mihi me nihil esse, nec quidquam valere, sed nec Deo placere in hoc statu. Non nisi in votis mihi est dies, quo statu tam miserabili me videam exemptum, ut operari quidquam incipiam pro salute mea.

O Deus! quantus tui est error animi! ô Deus! quam deciperis, dum adeò indigna foves in pectore sensa! Divine Jesu! ostende te huic animæ, & instrue ipsam per te metipsum, ut illustrata magno splendore exemplorum ac luminum tuorum clarè videat errores suos, ignorantias suas.

Ponderosam hanc Crucem, Domine, quam supra Golgothæum deportasti verticem, an ipsemet elegeras tibi? Non, accepi illam, quæ imposita est mihi, ipsam inveni prorsus idoneam, quâ uterèr ad operandum salutem & redemptionem mundi. Sed quis fabricatus est hanc Crucem, quisque illam imposuit tibi? Non indagavi, quæ manus fabricaverint illam, nec à quibus mihi fuerit imposita: Erant inimici mei, & manus erant sacrilegæ; sed non refert, sufficit ipsam fuisse crucem: amplexatus sum talem, qualis oblata est mihi, illamque adhibui ad construendum Altare mei sacrificii.

Sed nonne sentiebas repugnantiam in portanda & tole-

randa hâc Cruce? Sentiebam illam adeò magnam, ut sola illius imaginatio in horto olivarum me percussisset pavore, me concussisset tremore, me suffunderit sudore tum aqueo, tum sanguineo, me denique confecerit mœrore usque ad mortem, ita ut illâ expedire me vellem, & instanter à Patre meo expeterem ab ea liberari. Ah! Itane, Domine, summa hæc, quam in patiendo sentiebas, repugnantia, non spoliabat te tuarum merito afflictionum? Non, quia non obstantibus cunctis aversionibus naturalibus erga Crucem, resignavi me in beneplacitum Dei, ipsi dicens, ut juxta suam mecum faceret voluntatem. Hic voluntatis meæ superioris actus, erat verus, quem dabam ad patendum, consensus, quamvis fuerit absque gustu, absque ullâ consolatione; dumque volebam hoc ex parte animæ meæ superiori, modo quodam valdè arido & admodum insipido, omnes mei fremebant sensus, omnesque animæ meæ sensitivæ refragabantur facultates, & omnes naturæ inclinationes, meæ se opponere voluntati, & vehementissimè volebant oppositum: ita ut repugnantia meæ incomparabiliter fuerint vehementiores, magisque manifesta, quam imperceptibilis quasi consensus, quem meâ af-

Jesu Christi sentiebat magnas repugnantias in patiendo, & patiendo cum magno merito.

Exemplum admirabile Jesu Christi nos docet modum bene patendi, ut mereamur,

fere-

ferebam voluntate. Et nihilominus faciebam in hoc omnia, quæ requirebantur ad perfectissimè patiendum.

¶ Iesus Christus nunquam plus fecit, quam redactus ad summam impotentiam nihil facienda,

Sed tandem, Domine, tu nihil ampliùs agebas pro nostra salute, quando huic confixus eras Cruci: Siquidem non poteras ampliùs movere nec pedes nec manus, non prædicabas ampliùs Evangelium, non curabas ampliùs infirmos, non patrabas ampliùs innumera egregia facinora, uti priùs; redactus ibi eras ad supremam infirmitatem, absorptus opprobriis & contemptu hominum, reputatus inter sceleratos; nemo admirabatur ampliùs tua miracula, nemo ampliùs te afficiebat honore; ecce igitur te ibi totum abjectum, totumque redactum ad nihilum. Ut quid non deseris miserabilem hunc statum? ut quid non descendis de hac cruce, ut pergas patrare miracula pro gloriâ Dei & salute hominum? Ecce jam Judæi promittunt tibi, se fore convertendos, seque credituros in te, si descendas de Cruce, & exemplo illorum se totus convertet mundus. Sed in statu, quem tenes, quid agere poteris dignum consideratione?

Omninò ex opposito, dicit tibi, nunquam tam magnum quid feci, quàm quando nihil feci, quàm pati & mori pro gloriâ Dei Patris mei, & pro salute om-

nium peccatorum. Tempus agendi transierat, non erat hic ampliùs nisi tempus patiendi: Sed exquisitissimum confeceram hic opus, & per hoc imponere volebam coronidem & ultimam perfectionem cunctis operibus meis. Summus hic impotentia status, in quo apparebam totus annihilatus, totus abjectus, totusque inutilis, tam erat magnus, ut in eo patrerim maxima potentia meæ & amoris mei miracula.

Quid dicis ad hæc infelix seducta anima, tam malè sentiens de Cruce, quam toleras? Nonne abundè instructa & instituta es exemplo Salvatoris tui? Nonne vides, quòd licet non ipsamet elegeris afflictiones tuas, licet ex necessitate sustineas ipsas, ex eo non minùs tibi sint meritoria, quòdque crux semper sit bona undequaque tibi advenerit, à quibuscunque imposta tibi sit manibus: sive amici tui sint, sive inimici, sive homines boni, sive mali, quando etiam tu ipsa ex propria culpa tua tibi fabricata es illam, & tandem quando ab ipso tibi profecta fuisset diabolo, haud refert, sufficit, quòd crux sit, ut omninò sit idonea ad patrandum mira pro salute tuâ, modò portaveris illam. Nonne probè hinc vides, quòd repugnantia tuæ in patiendo, non impediunt, quin afflictiones tuæ

Cruces, quæ non eliguntur sunt ineliores.

Repugnantia tuæ in patiendo, non impediunt meritorium.

tux tibi plurimum sint merito-
ria? etiamsi conciliarent tibi
merorem usque ad mortem,
etiamsi sudare cum aqua te fa-
cerent cruorem, etiamsi ipsas
extorquerent tibi querimonias,
precesque ardentem ad Deum fu-
sas ut liberaret te à Cruce tuâ,
modò his omnibus reluctanti-
bus, voluntas tua superior re-
signata sit in Deum, dicatque ipsi:
Domine non mea, sed tua voluntas fiat:
Etiamsi videaris tibi id facere a-
ridè, & absque ullo affectu sensi-
bili, & ex opposito sentires multo
plus aversionis quam voluntatis
& inclinationis in patiendo pro-
pter Deum. An omnes hæc infir-
mitates naturales, quas Jesus
Christus sentire voluit ex com-
miseratione erga miseras nostras
fuere obstaculo, quin passus fue-
rit perfectissimè & maximo cum
merito?

Nunquam est
aliquis in me-
liori statu, nisi
quando obru-
itur miseriis.

Nonnè denique vides, quòd
hic afflictionum status, in quo
putabas te esse nihil, nihilque vale-
re, nec placere Deo, nec capacem
te esse ad quidquam boni agend-
um, immò nec ad orandum
Deum, omninò status sit opti-
mus, tibi que maximè proficuum,
in quo plurimum placeas Deo,
magnisque passibus progrediaris
in via salutis tuæ? Fortassis sta-
tus hujus dies unicus, quem infeli-
citem tu putas, tibi majori est
emolumento, pluribus te ditat
meritis, quam mensis integer sta-

tus alterius, in quo esses sine
Cruce.

Dicis, te credere hoc non
posse, eò quòd videas manifestè,
te nihil ibi boni facere. Nulla am-
plius arident bona opera, nulla
amplius oblectat vel devotio, vel
oratio, imò sine summo fastidio
ne quidem cogitare possum de
Deo. Nonnisi plenus sum que-
rimoniis, tædiis, motibus impa-
tientix, amaritudine, æmulatio-
ne, quâ invideo aliorum felici-
tati, omnes passionem meam dis-
ruptis tumultuantur frænis. Quæ
patior exterius, horrendum mihi
constituunt purgatorium, omni
namque patior ex parte: Quæ
tolero interiùs, verum mihi fa-
bricantur infernum, ubi sustineo
privationem Dei haud aliter,
quam damnati, & sicut ipsi, pes-
simos sentio affectus. Frustra
mihi dicuntur omnia, persuade-
re mihi non possum, placere me
Deo in hoc statu, vel promereri
me aliud, nisi supplicia. Etiamsi
resignare me vellem in benepla-
citurum Dei, non possem; & quan-
do dico: Fiat voluntas tua,
volo pati, quia vis; vi-
deor mihi illudere mihi ipsi:
siquidem in corde verum est,
quòd pati nolim: dumque no-
lens & invitus patior, ubi est
meritum?

Quando quis
putat, omnia
esse perdita,
tunc omnia
sunt optima.

Ah! infelix anima, quæ con-
quereris ita, quantum compati-
or tibi, non quòd sis in hoc statu,
Fffff sed

sed quòd non agnoscas pulchritudinem, excellentiam, summam felicitatem statùs, qui tantam tibi confert conformitatem cum JESU Christo Crucifixo, ut nunquam magis sis similis ipsi! Ecce totus sicut ipse obiectus es Cruce exterius, & in impotentia præstandi quidquam boni; es velut ipse absorptus maximis afflictionibus internis, putasque te derelictum à Deo, sicut ipse quòque conquestus est in Cruce. An hoc statu sit quidquam sublimius? Non, nunquam magis potes esse Christianus, nunquam magis acceptus Deo, nec unquam magis in statu, majora acquirendi merita. Considera benè admirabile hoc exemplum JESU Christi, quia ipse est verum exemplar nostrum: comprehende benè divinam ipsius Philosophiam, quæ docet, quòd oporteat nos everti, perdi, omninò destrui, ut nobis sit benè, immò optime; quòdque nunquam prætemus aliquid excellentius pro ipsius gloria & salute nostrâ, quàm quando nihil agimus boni, sed quando sustinemus Cruces, Cruces, & puras Cruces, sinè hoc, quòd habeamus id solatii, quòd sciamus, nos pati benè, & patièdo placere Deo: siquidem hîc purus invenitur amor, purumque meritum. O quàm fores felix, si comprehendere id posses! Apostolus S. Jacobus vult Christianum maximam suam in hoc

Admirabitur
Philosophiam
Christiani cir-
ca Crucem.

collocare felicitatem: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Gaudendi vobis est ansa, quando Deus vos aliquâ gravat afflictione, & quanto magis vestra creverit afflictio, tanto & vobis gaudendi major est ansa. Et quando obruet vos impetuoso imbri variarum afflictionum, persecutorum, dolorum, omnis generis miseriarum, velut tempestate grandinum decidentium super vos, ad subvertendum & demoliendum omnia: Omne gaudium existimate. Credite, obtinuisse vos maximum & verissimum gaudium animæ Christianæ. Et si dubitatis de eo, vestros conjicite oculos in exemplar vestrum, JESUM Christum, totum expoliatum, totum annihilatum in Cruce, & videte, nunquam vos ipsi assimilari magis, & consequenter nunquam perfectiores vos esse Christianos. Per hoc complevit ipse totum infinitorum meritorum suorum thesaurum; & ex hoc vobis quòque abundantius licet haurire.*

O beatum & millies beatum, qui benè comprehendere posset divinam hanc philosophiam! Si placere vis Deo, ama pati; si exercere desideras purum amorem, puramque virtutem Christianam, ama pati; si aves patrare mira pro salute tuâ, ama pati;

Jacobi I.

In quo consistat verum gaudium Christiani,

Ut quis sit beatus, debet amare afflictionem.

pati; si anhelas locupletare te cito maximo meritorum thesauro in aternitate, ama pati; & tandem, si nôsse cupis modum vivendi semper consolatè, firmiter habeas persuasum, veram felicitatem tuam consistere in patièdo, & patièdo multa, & patièdo semper usque ad mortem, ex amore infinità ratione amabi-

lis Salvatoris tui, qui aliud non fecit, nisi pati, pati & pati, toto vitæ suæ curriculo ex amore tui. Si semel hoc benè comprehenderis, æstimo te felicissimum omnium super terram; hauries namque cum gaudio bona aterna è secundo fonte Salvatoris. Accedamus ad tertium, nempè orationem.

ARGUMENTUM.

Possumus haurire continuò & abundanter è thesauro meritorum Jesu Christi per orationem.

ARTICULUS. III.

August. ferm. I. de verbis Domini.

Sumus omnes mendici Dei, petentes ab ipso eleemosynam, dum oramus ipsum.

Refugium pauperum, quibus nec laborandi, nec negotiandi datur facultas, eleemosynam efflagitare à divitibus, & hac ratione inveniunt suæ sublevamen indigentia. Sanctus Augustinus egregiè dicit, quòd omnes mendici Dei sumus, eòquòd omnes egeamus veris his bonis, quæ necessaria nobis sunt ad vivendum vitæ aternâ. Nec comparare nostro labore illa possumus, nec negotiando ipsa acquirere propria nostra industria, nec ulla creatura nobis illa largiri potest: ipse solus est dives ille, qui conclusa servat ipsa in thesauris suis; & idèd nobis omnibus incumbit stare ad portas ejus, & ab ipso efflagitare eleemosynam. Id quod appellamus orationem, non est aliud, quàm nostræ exer-

citium mendicitatis; quando oramus illum, petimus ab eo, ut nobis det, eòquòd nostram sentiamus indigentiam, & sciamus, ipsum non minùs charitativum esse, quàm divitem. Non informamus nos ipsum de nostris necessitatibus, ipse meliùs has novit, quàm nos, & ipsas sublevare posset optime, abs eo, quòd expectet, quid requiratur à nobis; sed complacet sibi, aspièdo nos postulantes à se velut mendicos, ut ostendat sese nobis liberalem velut Patrem misericordia infinità ratione divitem in bonitate.

Ipsemet confidentiam largitur nobis petendi à se, & ad hoc ipsum nos extimulat. O bonitas infinita! ipse nos rogat, ut rogetur à nobis, eòquòd majori

ri teneatur desiderio largiendi nobis, quam teneamur nos rogandi ipsum; & ut efficacius nos ad hoc impellat, promittit, daturum se nobis, quæcunque flagitaverimus: *quidquid petieritis.*

Joan. 14.
& 15.

Deus nos o-
rat, ut ipsum
oremus, ex
desiderio
dandi nobis.

S. August. in
Psal. 34.
serm. I.

Ecce maximam tibi amplitudinem, cum nullos omnino illi statuatur limites; est promissio hæc certissima, cum Deus sit, qui nobis hanc faciat, isque infinita ratione verus ac fidelis sit in promissis suis; promittere nobis possumus ab eo liberalitates & munificentias maximas, eoque infinita ratione sit dives. Eja, dicit tibi sanctus Augustinus, tenes promissa Dei: Ecce proposuit, pete, quod vis. Si tibi Imperator diceret, pete, quod vis, quos tribunatus, comitatusve rogares? quanta tibi proponeres & accipienda & aliis largienda? Deo tibi dicente, pete, quod vis, quid petiturus es? Excute mentem tuam, exerce avaritiam tuam, protende, quantum potes, & dilata cupiditatem tuam; non quicumque, sed Omnipotens Deus dixit, pete quod vis.

Abusus est
petere à Deo
res perituras.

Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes, qui nascuntur, coloni tui aut servi tui sint. Et quid cum totam terram possederis? mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris, in hac avaritia te pisces superabunt. Sed forte insulas possidebis; tran-

scende & hæc, pete & aërem, quamvis volare non possis: porrige cupiditatem tuam usque ad cælum, dic tuum esse solem, lunam, stellas, quia ille, qui fecit omnia, dixit, pete, quod vis.

Verum si habueris hæc omnia, quid habebis nisi res nihili, id est, creaturas minores te, quas traxit ipse è nihilo, quæque nil habent, unde magnificent te, cum minores sint te; nil habent, quo ditent te, cum pauperiores sint te; nil habent, quo repleant & satient te, cum nonnisi parvus caduci boni sint atomus, & anima tua infiniti sit capax boni, boni æterni; & tandem nil habent, quo vivere te faciant vitâ hæc æternâ ac beatâ, quam anhelas, & pro quâ obtinenda mendicis ad portam Dei. Siquidem pauper petit, quo alat vitam suam, & omnia hæc quæ tu petis, non sunt idonea ad dandam tibi vitam: Etiam Deus non æstimat res has nihili respectu tui, & negligit has dare illis quos amat.

Habet is alia bona, quæ tibi congrua sunt, quæque necessaria sunt tibi ut vivas in æternum: ipse asservat hæc in thesauris suis, ut promptissime largiatur tibi illa, quando elemosynam petieris ab ipso, ut vivas; abundant illa gratis, meritis & sanctitate; & hæc tibi dandi succenditur desiderio, ut suppeditet tibi medium in omnem

Quæ bona
Deus velit
dare nobis,

omnem vivendi aternitatem. Verum is ipsemet inclusus est cum gratiis suis & meritis suis in thesauro suo; & ardet etiam cupiditate majori dandi tibi se ipsum, quam tibi dandi bona sua: *Et nihil magis vult dare, quam se.* Exquirere ab ipso potes, quidquid volueris, si melius tuo est, id petere; sed vide, quod magna ipsum afficias injuria, tibi que ipsi plurimum noceas, si dum ipse tibi dare desiderat bonum infinitum, nempe seipsum, tu ab ipso non petas nisi crepundia, vilia, futilia.

Ecce igitur nos divites in perpetuum, si velimus; nunquam non habemus hunc fontem Salvatoris apertum, id est, thesaurum gratiarum ipsius, & infinitorum meritorum, ubi invenimus ipsummet, & haurire ex eo possumus incessanter, & quantum volumus. Haurimus inde per orationem, quod accedimus velut ad portam ipsius, ut petamus ab eo eleemosynam; ipse magis desiderat nobis dare, quam nos petere ab eo; ipse nobis dicit: *Oportet semper orare, & nunquam deficere;* cum semper velit nobis dare, ut nunquam nos cesset locupletare. Ubi est pauper, qui fatigaretur petendo eleemosynam à divite, si nosset divitem nunquam fatigandum dando omnia, quæ voluit ab eo

postulare, insuper daturum nunquam nisi pretiosissima quæque, & quanto plura ipsi dederit, tanto adhuc plura dare velle? quanto ardore accederet ipsum, incessanter postulaturus ab eo?

Jam nobis hæc certitudo est, ex ipso ore Jesu Christi prolata: *Petite & accipietis;* petite sine intermissione, & sine intermissione accipietis. O Deus! quid cogitamus? an nobis quid aliud faciendum esset cunctis momentis vitæ nostræ, quam incessanter efflagitare divitias pretiosi hujus thesauri, qui totus plenus est gratiis & meritis infinitis, in quo est ipsemet, totus succensus desideriis donandi se nobis, cum certi simus, quod nunquam passuri simus repulsam, cum infallibiliter nobis daturus sit, quidquid petierimus, cum largiturus sit nobis restam pretiosas, ut minima eleemosyna, quam nobis è suo tribuit ac confert thesauro, majoris sit facit, sunt pretii, quam omnia imperia mundi. O si oculis corporeis intueremur id, quod è suo trahit thesauro, illud ut inferat & inferat nostro, quotiescunque obsecramus ipsum! nunquam non est portio quædam ipsius gratiæ, nunquam non est augmentatio quædam divini ipsius amoris, nunquam non est nova quædam participatio meritorum Crucis ipsius. Ecce tibi, quid

Fffff 3 com-

Augustinus
ubi supra.

Joan. 16.

Luc. 12.

Quid anima
re nos debeat
ad semper
orandum.

Omnes elec-
mosynæ, quas
Deus nobis
facit, sunt
magnificæ.

completeatur thesaurus ipsius, quasve eleemosynas largiatur tibi.

Divitiæ ani-
mæ frequen-
ter vel semper
orantis sunt
inestimabiles.

Et quanti valoris est quælibet gratiæ sanctificantis portio, & quivis divini amoris ipsius gradus? Nonne est regnum cælorum in omnem æternitatem? procul dubio: Nam omnis anima, quæ in morte inventa fuerit dives unico solo gradu gratiæ & amoris divini (quæ duo inseparabilia sunt) certa est, habituram se vitam æternam; & quæ habuerit duos gradus, habebit etiam gloriam duplò majorem, & quæ mille gradus, milies majorem, eòquod gloria æterna suam desumat mensuram à gratia & gradu amoris divini, in quibus verum consistit animæ meritum. Si igitur anima incessanter petens eleemosynam à Deo per preces continuas, certa est juxta promissionem Dei, quæ fallere & falli non potest, quòd incessanter recipiat novum quemdam gradum meriti, quanta successu temporis divitiarum ipsius erit abundantia, & quantus tandem erit gradus gloriæ ipsius in æternitate? Excedit id omnem captum, hominùmque intelligentiam. Si igitur videremus oculis nostris corporeis augmentationem hanc continuam, juxta proportionem, quâ ingeminamus preces nostras cum fervore: an ignavia sit tanta in mundo, quæ non excitaretur ad orandum continuò? Ah!

Itane? certitudo, quam habemus per promissionem tam manifestam Dei, nonne magis sit infallibilis, quàm si videremus illam propriis oculis nostris. Pende hoc bene, & quasi impossibile erit, quin fortis addendus tibi sit stimulus ad orandum absque intermissione, ut absque intermissione haurias cum gaudio è fontibus Salvatoris.

Omnis generis orationes & preces sunt efficaces ad obtinendum à Deo, quidquid petitur ab eo, sive vocales sint, sive mentales: nihilominus asserendum est, inesse quid orationi internæ ac mentali, unde accipiat vim ac virtutem omninò aliam, quam non habeat vocalis. Et quando dico orationem mentalem, non intelligo solùm horas illas integras, quæ clam & in silentio consecrantur meditationi vel contemplationi; plurimi enim dicerent, sibi otium & capacitatem huic se impendendi non esse. Sed voco orationem mentalem, quam anima facit ad Deum in secreto cogitationis suæ & affectibus amoris sui, sive brevis illa sit, sive longa; modò sit fervens, admirabilem habet vim obtinendi à Deo quidquid voluerit.

Jam postquam anima accensa est vero desiderio salutis suæ, postquam magnam concepit æstimationem pretiosarum divitiarum,

Oratio mentalis est efficacior vocali,

Quàm facile sit & utile semper orare interiorius.

tiarum, quæ inclusæ sunt in thesauris gratiarum & meritorum Jesu Christi, postquam cognovit facile, quod habet, medium illas obtinendi, illisque se locupletandi per orationem sive vocalem, sive mentalem: nonne incessanter haurire potest in secreto è fontibus Salvatoris sui? nonne habet ipsa libertatem omni tempore, omni loco, solitaria vel sociis stipata, aliquo labore externo occupata, vel in quiete, in Ecclesia, domi, in plateis, in conversatione; sive sana sit vel ægrotata, consolata vel afflictata: nonne semper habet libertatem postulandi ardentem à Deo in secreto pectoris sui, ut cor suum suis repleat gratiis, ut augeat & perficiat in se amorem suum? Et nunquam id facit ipsa in vanum: certum namque est, nihil magis placere Deo oratione, nec quidquam esse, cui tam facilem præbeat annutum.

Pulchra differentia inter orationem mentalem & vocalem.

Adverto differentiam inter orationem vocalem & mentalem, qualis ferme intercedit inter duos pauperes, qui ambo efflagitant eleemosynam: sed unus est incognitus, eoque raro videatur & nulla habeatur familiaritas cum eo, relinquatur ipse ad portam, non tamen negligitur, quin ipsi asportetur eleemosyna. Alter est cognitus, eoque sæpius solet videri, frequentius affici beneficio, pro

quo se exhibet gratissimum; & amatur etiam amplius, admittitur in ipsam domum, agitur cum ipso familiarius, & ipsi quoque eleemosyna porrigitur liberalior. Oratio mentalis & interna est velut pauper, qui majoribus repletur favoribus, qui ingreditur in domum, qui recipitur cum majori confidentiâ & amicitia, quique majorem experitur Domini liberalitatem ac munificentiam.

Quis dubitat, quin anima, quæ loqui novit Deo ferventer & frequenter in arcano cordis sui, facile admittatur in adorandum sacrarium cordis Dei? Lingua cordium est amor; quia hæc anima agit amanter, agitur quoque amanter cum ipsa; & quamvis pauperrima sit & mendica, meretur tamen, ut summa Dei Majestas amet ipsam, & familiariter agat cum ipsâ, velut cum amicâ suâ: ipsa assuevit loqui cum ipso sæpius, & ipse non cessat beneficiis afficere illam; ipsa consuetudine sua frequentiori in ipsius devenit notitiam, & ipsa tractatur ab eo velut domestica, & tandem ipsius evadit amica; & postquam evasit hucusque, non est amplius velut pauper requirens eleemosynam, est velut amica, cum quâ vivitur ex communi massa; videtur intrare ipsa in possessionem omnium thesaurorum Dei; inter veros nam-

Deus agit cum anima, quæ novit orare interioris, velut cum amicâ suâ.

námque amicos omnia sunt communia, & quod spectat ad hunc, spectat etiam ad alterum.

Infinita felicitas animæ, quæ familiariter novit agere cum Deo per actus frequentes amoris.

O Deus optime! Deus amantissime! quò evasimus? Dicebam ab initio, nos haurire posse è thesauris meritorum Jesu Christi per orationem: Et invenio tandem, nos eorundem accipere posse integram possessionem, si noverimus, uti oportet, orare, & agere cum Deo familiariter, ac ipsius promereri amicitiam assiduitate, quâ nos sæpius ipsi coram exhibemus, ipsique magno cum fervore loquimur in arcano cordis nostri. Quis æstimare possit nostræ magnitudinem felicitatis, si semel eòsque provehere ipsam possimus? Hæc anima assueta occupare sese interius, elicit incessanter ferventes amoris Dei actus, per quos totum cor suum immergit in cor Dei; & qui ponderare vellet, quanti esset valoris unicus ejusmodi actus, inveniret centenos mundos æqualis cum præsentis magnitudinis, nullatenus ipsi posse æquiparari, vel ipsius adæquare pretium. Sed tandem post longam & continuam multiplicationem illorum actuum, per quos collocata in statum plenitudine refertum amoris, replentis totum cor suum, nullos amplius speciales illorum elicit, sed consumi se

permittit sinè intermissione, & absque interruptione ullâ sacro illo, quo ardet, igne. Anima hæc an dives sit per orationem suam immensis thesauris meritorum Jesu Christi? Certè, non sunt ipsi omnes inclusi in ipsa; sed ipsa tota est absorpta, totaque summersa in ipsorum abundantia: relinquamus ipsam in felici hæc jacturâ, & permaneat ipsa hic in æternum.

Sed interim sanctâ quâdam invidia ipsius prosequamur felicitatem, & ipsius addiscamus exemplo, frequenter cum gaudio haurire è fontibus Salvatoris per multiplicatas preces nostras. Quando non semper poterimus operari bonum, vel pati malum, quæ duo prima sunt media, quæ habemus, hauriendi è thesauris ipsius; saltem semper orare possumus, vel exterius per os corporis, vel interius per os cordis, & incessanter flagitare Deum, ut det nobis, unde vivamus in æternum, id est, suam gratiam, & sanctum amorem suum postulare ab ipso panem quotidianum, ipsumque rogare, ut sancta sua voluntas fiat in nobis, sanctumque suum sanctificetur Nomen; omnia hæc non sunt, nisi petere elemosynam è divitiis divini thesauri ipsius; siquidem hæc omnia sunt gratiæ, quas ibi conclusas tenet, ut nobis largiatur illas

Felix, qui incumbit incessanter orationi.

illas exoratus à nobis, nunquam in vanum id facientibus. Felix anima, quæ ordinarium suæ orationis peragit exercitium; magis felix, quæ facit illud sibi esse continuum! dici potest, ipsam

haurire semper cum gaudio è fontibus Salvatoris: ipsa tam evadit dives, ut ipsamet id nesciat, & nunquam bene sciet, quanti thesaurus suus sit, nisi in æternitate.

ARGUMENTUM.

Efficax medium, quod Jesus Christus nobis largitur hauriendi abundanter è thesauris meritorum suorum, per bonum Sacramentorum usum.

ARTICULUS IV.

EXclamandum hic foret cum sancto Ambrosio ex æquissimo gratitudinis affectu: O bonitas Dei, quot apertæ sunt portæ ad intrandum in cælum! O quantæ sunt viæ, quæ deducant nos illuc! ô quam efficacia nobis largiris media, ut auspicato effectu promoveamus magnum opus salutis nostræ! omnia tria media participandi è meritis Jesu Christi, quæ consideravimus, bona opera, benè toleratæ afflictiones, oratio, sunt efficacissima profectò; verùm æquiparanda non sunt huic ultimo, quod consistit in bono Sacramentorum usu, siquidem quando ex hypothesi aliquod formari posset dubium circa alia; ecce tibi unum, de quo dubitari omninò non licet, cum articulus sit fidei, Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo instituta operari gratiam ex seipsis. Quid sibi vult, ex seipsis?

Vult innuere, quòd ipsa pretiosa sint vasa, quæ illà (nimirum gratiâ) tota sint plena, quæque eam abundanter & infallibilissimè effundant in totam animam se recipientem, quin opus sit, ut illa ex parte suâ quidquam contribuat, nisi quòd obstaculum non ponat bono ipsorum effectui. Exempli gratia: Certi sumus, quòd omnis infans, qui baptizatus est, recipiat gratiam sanctificantem. Et quid facit hic infans ex parte suâ, aut quid contribuit, ut ipsam recipiat? Nihil, cum inhabilis adhuc sit perficere actionem, sive bonam, sive malam, immò nec sciat, quid agatur secum, sed sufficit, quòd nullum ipsi afferat obstaculum. Sacramentum Baptismi sanctificat ipsum ex seipso, & facit ex ipso filium Dei. Mirifica hæc virtus, quæ tam luculenter apparet in Baptismo, est eadem in omnibus aliis; habent ipsa

Sacramenta legis evangelicæ operantur gratiam ex seipsis.

Ggggg omnia

omnia facultatem conferendi gratiam sanctificantem ex seipsis, omnibus sese recipientibus, modo operari permittantur, & non impediuntur producere bonum hunc effectum.

Non sufficit recipere Sacramenta, oportet exinde proficere.

Duo præcipuè illorum nobis sunt, quorum usus nobis est frequentior: Pœnitentiâ & sancta Communio; indies conspiciuntur populi catervatim huc advolare, eòquòd credant, hæc sacra esse vasa omni referta gratiâ & sanctitate, nec aliud requiri, nisi ut accedant, illâque recipiant. Fides illorum Catholicissima profectò est, & infallibilissima: sed insuper plurimi talem concipiunt fiduciam, seque tam certos credunt, quòd, modò frequenter accedant ad pœnitentiâ, & frequentius adhuc ad sacram synaxin, sufficiat, quòdque directè & magnis passibus ambulent viam cœli. Et verum est etiam, quòd nihil tam sit efficax, ad locupletandum illicò animam magnâ divinorum gratiarum abundantia, sicut frequentissimus Sacrae Communionis usus, quòdque omnes illi, qui frequentant ipsum, quasi ad oculus crescere debeant in gratia, in perfectione & sanctitate. Et si non obtineant, quòd quærent, ex qua parte est defectus?

An erit ex parte divini hujus Sacramenti? Hoc esse non potest:

Siquidem non solum est articulus fidei, quòd producat gratiam ex seipso, sicut omnia alia sunt infructuosa Sacramenta; sed ad credendum nos fides obstringit, quòd contineat ipsummet omnium gratiarum Auctorem, quòdque totum illarum Oceanum afferat animæ se recipienti. Una ergò sola Communio bona sufficeret ad complendum ipsam omnibus gratis, cum plures illi offerat, quàm earum recipiendarum habeat capacitatem. Nunquam igitur ex parte ipsius oritur defectus, si anima post numerosam Communionum multiplicationem inopem sicut priùs, se inveniatur gratiâ, sanctitate & amore Dei. Necessariò igitur omnis defectus proficiscitur ex parte animæ, uti conveniunt omnes; sed non ita apparet, ubi sit hic defectus. Quæramus illum, ut inveniamus; maximi namque hoc est ponderis ac momenti.

An causa sit, quòd hic homo tam frequenter Sacram Synaxin accedens, non satis magnam huc afferat reverentiam; quòd perficiat illam quasi ex usu & consuetudine; quòd non possideat fervorem internum, nec fidem satis vivam; quòd suum in varia distrahi permittat spiritum; quòd ignavus sit & vecors, & absque ullo affectu? Ecce ingentes procul dubio defectus; sed hi omnes non impedirent, quin ita commu-

Sola ignavia & evagatio mentis non impedit gratiam Sacramentorum,

communicando reciperet gratiam, cum Sacramenta operentur gratiam ex seipsis in iis, qui non ponunt obstaculum, citra hoc, quòd aliquid ex parte suâ contribuere ipsos, sit opus. Verum quidem est, quòd ipsorum indevotio, quæ non reddit ipsos omninò incapaces ad recipiendum fructum Sacramenti, nisi pertingat usque ad peccatum mortale, indignos tamen reddat illos, ad recipiendum illum tam abundanter sicut reciperent, si meliores huc afferrent dispositiones. Et Deus meritisimè castigat illos, relinquens terram illorum sterilem, quamvis optimum ipsa recipiat semen juxta effatum Vatis Aggæi: *Seministi multum, & insulisti parum.* Verumtamen, quando persona, quæ communicat, non haberet plus devotionis erga Sacramentum, nec plus reverentiæ, quàm infans, qui recipit Baptismum, hoc non impediret, quin operaretur gratiam in illâ: quondam enim imponebatur ori Baptizatorum particula sacræ hostiæ, & ipsi duplicem recipiebant gratiam, illam Baptismi, & illam Sanctæ Communionis. Si igitur hæc anima, quæ comunicat absque attentione & devotione animi, non recipit gratiam, oportet aliquid aliud esse, quod ipsam impediatur. Sed quid est hoc?

An causa sit, quòd ipsa accedat ad sacramentum plurium rea-

peccatorum venialium? Siquidem cum hic panis Angelorum sit, accedere oporteret velut Angelum, ad recipiendum illum. Et quia Jesus Christus infinitâ ratione abhorret peccatum, etiam minimum peccatum veniale, maxima ipsi infertur injuria, dum recipitur conscientia peccato veniali obnoxia; & forsân hoc impedit, ut suam recipienti hoc Sacramentum non conferat gratiam. Non, nisi eo modo, sicut mox explicabo: Siquidem licet peccatum veniale summè displiceat Deo, & ipse annihilari mallet cælum & terram, quàm unicum tale committi; nihilominus id absolutè incompatible non est cum gratia sanctificante, cum illam non destruat in anima illud committente; alias peccatum veniale non esset, sed peccatum mortale. Similiter ergò non impediret augmentum gratiæ, & Sacramentum non intermitteret producere illam in anima se recipiente, quantumvis plurium venialium conscia foret noxarum. Si ergò illam non recipiat, oportet majus adesse obstaculum id impediens. Et hoc tandem quid erit?

Non est hic fluctuandum animo. Certum est, non nisi solum peccatum mortale absolutè incompatible esse cum gratia sanctificante; & idè etiam nuncupatur peccatum mortale, è quòd

Peccatum veniale non impedit gratiam Sacramentorum.

Non nisi peccatum mortale obstat effectui principali Sacramentorum.

Ggggg 2 mor-

mortem afferat animæ, auferendo ipsi vitam gratiæ. Si igitur verum est, quod Sanctum Sacramentum non producat effectum suum principale, nempe gratiam sanctificantem, in anima se recipiente, necessario oportet hanc animam esse in statu peccati mortalis. Nam omnis Theologorum doctrina consentit in hoc, quod non nisi solum peccatum mortale absolute sit incompatible cum gratia. Sed ô Deus! quod nos abripit hæc veritas? & quantæ ex hoc principio deducuntur absurditates?

Valde mirum est Sacramenta non proficere ea recipientibus,

Quid igitur cogitandum sit de tot hominibus aliis sat bonis, devotis tam viris, quam sceminis, de tot Presbyteris, de tot Religiosis utriusque sexûs non cessantibus recipere Sacramenta Pœnitentiæ & sanctissimæ Eucharistiæ, quin appareat aliquod augmentum gratiæ aut amoris Dei in eis? Nam quales visi sunt ante quindecim, viginti aut triginta annos, tales videntur hodie, nisi forsân deteriores adhuc fuerint effecti. Et quando remittuntur ad propriæ tribunal conscientiæ, ipsique bonâ fide agentes coram Deo abscondita cordium agnoscente confitentur veritatem, qualem ex propria sua noverunt experienciâ, fatebuntur, se non videre, quod habeant plus gratiæ, aut sanctitatis, aut amoris Dei, post quadringentas vel mil-

lenas Communiones, quàm habuerant ante. Ex manifesta igitur experientia judicari potest, quod tanta, quæ receperunt Sacramenta, nihil gratiæ sanctificantis operata sint in ipsis: Siquidem, quàm modicum etiam gratiæ ipsis quodlibet contulisset, cum ita fuerint multiplicata, observatum fuisset tandem ipsius augmentum, sicut plura arena grana tandem acervum conficiunt, qui appareat oculis. Jam nemo hic aliquid percipit, nec ipsimet observare possent, quod adaucti fuerint illâ. Exploratum igitur omninò est, quod Sacramenta nihil operentur in illis, faltem quod percipi possent.

Sed dicis, illa semper producere gratiam ex seipsis, quando nullum occurrit obstaculum in anima se suscipiente. Hoc tam verum est, ut articulus sit fidei. Et dicis non nisi solum peccatum mortale esse, quod obstaculum ponat gratiæ sanctificantis. Nihil hoc est certius. Ah! Itane mihi Deus, an ergò hi omnes erunt in statu peccati mortalis? an ergò committent tot nefanda sacrilegia, quot recipient Sacramenta? an sic continuo ambulabunt latam æternæ damnationis viam, dum homines æstimantur pietate & devotione insignes? Ipsorum vita non apparet vitiosa, nec videntur ipsi committere peccata grandiora, quin etiam contestantur,

Veritas terribilis, quam nec dicere, nec cogitare licet.

stantur, se pro nullâ re mundi patraturos peccatum lethale, aut tali suam maculatos conscientiam. Et dicere, hæc omnia esse peccatum lethale continuum, totidemque victimas inferno consecratas esse illos, qui sæpius frequentant Sacramenta, seque devotendo exercitiis pietatis, videntur esse purior & sanctior totius portio Ecclesiæ: hoc scandalosum foret dictu, horrendum hoc foret cogitatu.

Discursus, qui urget & confundit securissimos quosque.

Ita, non dico illud, & ducerem mihi conscientia id solummodo cogitare, terribile mihi id ipsum videretur. Sed quid agendum, ut nos hoc labyrintho evolvamus? Nonne verum est, quod Sacramenta à Jesu Christo instituta producant in animabus gratiam ex seipsis, id quod appellant, *ex opere operato*, quando non inveniunt obstaculum, quo impediuntur? de hoc dubitare non licet, cum sit articulus fidei. Nonne verum est, quod non nisi unicum peccatum mortale sit obstaculum gratia sanctificanti, & incompatible cum illa? de hoc æquè parum dubitari potest, cum hoc quasi constituat essentiam peccati mortalis, quodque illius distinctivum est à veniali: unum destruit gratiam, & alterum non destruit ipsam. Nonne tandem verum est, quod necessario debeat esse aliquod obstaculum, quod impediat augmentum gra-

tia in omnibus his animabus, quæ tam frequenter recipiunt, & quasi indies Sacramenta inutiliter, cum non appareat, quod producant quidquam in his animabus? Hoc negari non potest. Verum si hic adest obstaculum gratia, adest hic ergo peccatum mortale? Verum si peccatum mortale hic adest, est ergo status miserandus deducens ad æternam damnationem? Judica tu ipse. Verum si hoc habeatur pro certo, est igitur desperandum toti mundo? Fateor, plenum hoc esse terrore, quodque fortissimos quosque concutiat tremore.

Sed quid agendum, ut expediamur his angustiis, ut enodemus hanc difficultatem? Fateor, quod quanto magis, quanto penitius hæc mente revolvo, tanto me magis involvam tenebris, minusque videam lucis. Veritatem hanc reliqui prorsus nudam & absque ullâ mitigatione in prima impressione hujus libri, quam plures animæ timorata nimis duram credentes, hæcque perterritæ, deque illâ conquestæ, obsecrârunt me, ut sibi hæc super re, si possibile sit, aliquid impertirer lucis, quâ redderentur securæ. Sed quid juvat abscondere veritatem, seque ipsum excœcare velle? allegari possent vanæ quædam rationes, non idoneæ nisi ad occultandam & non enodandam difficultatem; sed

Difficultas, quæ resolvî non potest.

Ggggg 3 inf-

infelix est labor, studere, ut se ipsum quis decipiat. Relinquo quaestionem hanc examinandam & resolvendam aliis me doctioribus.

Quod adungere possum in secunda hac impressione magis favorabile, quodque iudicio meo magis convenit rationi, est, quod indevotio, parva fides & reverentia, & ut dicam unico verbo, defectus bonarum dispositionum, quibus instructas oporteret esse animas Sacramenta recipientes, privet vel ex parte, vel fortassis ex toto ipsas fructu, quem haurirent ex illis, qui que esset gratia sanctificans: non quod ipsae absolute incapaces sint ad recipiendum illam, quando ipsarum indispositio non pertingit usque ad peccatum mortale; sed quod indignae sint, ut Deus largiatur eosdem ipsis favores, quos largitur animabus sibi fidelibus, quodque mereantur potius puniri ob defectum, quem committunt, subtractione actuali multarum gratiarum, quibus Deus privat ipsas magis vel minus juxta ipsarum demerita. Sic plures, absque eo, quod fortassis faciant unquam, vel saltem raro Communionem sacrilegas, illas faciunt inutiles, & loco hujus, ut remunerentur pretioso dono gratiae, puniuntur ejusdem privatione. Ecce, juxta opinionem meam, quod dici hanc in re pos-

sit, magis mite ac pium, quodque personas plurimas à Communionibus sacrilegis reddere possit securas, quam vis illas plerumque faciant inutiles. Sed qui bene perpenderet jacturam communionis inutilis, amarum deploraret ipsam lacrymis; quantis enim gratiis ipsa privat animam, tanto hæc privatur gloriae cumulo in æternitate. Et ecce quod nos redigat nostra indevotio, nostra negligentia, nostra socordia.

Nihilominus fateor, quod consideratio magnae hujus miseriae me humiliet usque ad abyssum, meque semper timore ac tremore concutiat coram Deo. Obsecro Jesum Christum per pretiosum ipsius sanguinem, ut mihi detegat & è corde meo avellat cuncta obstacula, quae augmentationi gratiae ipsius colloco in anima mea, cum auspiciatissima hæc fruar sorte, sæpius accedendi ad Altare, & percipiendi divina ipsius Sacramenta.

Justus timor absterret me quidem, ne accederem ad illa. Sed timor adhuc major me urget & extimulat, ut ipsa frequentem; audio namque minas intentatas à Jesu Christo in Evangelio: *Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ecce condemnationem meam jam pronuntiatam, si abstinero, meque abstraxero

Joan. 6.
v. 54

ab

Non minus
periculofum
est, abstinere
à Sacramentis,
quàm inutili-
ter accedere.

ab adorando pretiosi Corporis
ipsius Sacramento. Novi aliã
ex parte, non minus ipsum in
judicio suo postulaturum ratio-
nem de communione omiffa
contra voluntatem suam, quàm
de communione male factã con-
tra reverentiam Majestati suã
debitam. Oportet ergò evita-
re utrumque; oportet commu-
nicare, ne privemur vitã æternã,
uti minatur nobis; sed oportet
communicare dignè, ne fortè

rei inveniamur Corporis & San-
guinis Domini, juxta S. Pauli
factum nobis monitum. Et
ingentes hæ duæ obligationes,
quæ utrinque nos urgent, inevi-
tabili nos stringunt necessitate,
ut indefessè invigilemus puri-
tati animæ nostræ, velut homi-
nes, qui, cum nutriantur propriã
substantiã Filii Dei, vivere etiam
debeant vitã Dei. O quàm ve-
rum est, omnes Christianos de-
bere esse sanctos!

ARGUMENTUM.

*Quodnam sit verisimiliter verum obstaculum impediens
effectum Sacramenti.*

ARTICULUS V.

FAteor, mirum valdè esse,
quòd dum conscientiarum
nostrarum instituiamus examen,
non inveniamus peccatum no-
tabile nobis obstans, quin simus
in gratia Dei, & speremus aug-
mentum gratiæ ex usu Sacra-
mentorum. Nihilominus ma-
nifestè videmus, illam non cre-
scere in nobis, vel tam parùm,
ut nostram effugiat cognitio-
nem. Quòd obstaculum hic
possumus ponere, cum videamur
nobis servare totam legem
Dei?

um ex toto corde nostro, ex to-
ta anima nostra, & ex totis viri-
bus nostris? Ecce tibi maximum,
validissimum, magisque indi-
spensabile ex omnibus præceptis
Dei, quod requirit omnia, quòd-
que nihil excipit; & nihilomi-
nùs videtur, id ex omnibus mi-
nùs curari aut observari, quasi
nullam specialem afferret secum
obligationem; nullum ex omni-
bus est, cui minus tribuatur ob-
servantiæ, cui adimplendo mi-
nor impendatur zelus.

Nimis parùm
æstimatur o-
bligatio maxi-
mi præcepti.

Quid novi, an non peccemus
omnes gravissimè contra pri-
mum & maximum mandatum,
quod præcipit nobis, amare De-

Nonnulli faciunt ex eo velut
præambulum Confessionis suæ,
& dicunt obiter: Accuso me,
quòd non amaverim Deum ex
toto corde meo. Sed non inten-
dunt

Confitemur,
nos non amasse Deum,
velut rem nihili,
& sæpe est peccatum mortale.

dunt per hoc præbere materiam absolutionis, & plerique Confessarii hanc desuper non darent: ambo tam poenitens, quam Confessarius credunt, non esse id, nisi levem quamdam imperfectiorem. Sed quæro, quod majus peccatum potest anima committere, quam non observare maximum & maxime obligatorium ex omnibus præceptis legis divinæ? Estne, quod ignoretur, non amare Deum ex toto corde suo, sicut lex præcipit, esse peccatum mortale? Itane? credatur, alia præcepta, quæ minora sunt, obligare omnia sub poenâ peccati mortalis, & hoc, quod est maximum omnium, non obligatum? Estne, quod non sciatur, illum juxta omnem Theologiam, quicumque porterit in corde suo amorem erga aliquam rem vel majorem, vel æqualem amori Dei, esse in continuo peccato mortali, & nunquam exiturum inde, quoad verè & absque figmento universum amori Dei conferat imperium in corde suo.

Quasi nemo observat præceptum de amando Deo, nec credit, quod obliget sub peccato mortali.

Eheu! nulla videtur hujus rei esse cura, quasi nemo sibi vertit stimulo, amare omnia magis Deo. Amamus ardentè amicos nostros, consanguineos nostros, cognatos nostros; amamus ardentè bona nostra, mundum, & vanitates illius; amamus ardentè nosmetipsos, vitam nostram, honorem nostrum, com-

moda nostra; non cogitatur de alio, non fit sermo de alio, non nisi his intenditur animus, mens, affectus, totum huc nostrum effundimus cor, totum huc nostrum collocamus studium; & inter hæc omnia, omnium cogitationum nostrarum de Deo est minima. Hoc non ponderamus, & omnes quasi ita vivimus absque remorsu conscientia.

Non dicam, quod amor Dei expellere debeat e corde nostro amorem omnium aliarum rerum, quodque ad satisfaciendum obligationi maximi præcepti, ita amari debeat Deus solus, ut cætera omnia vel odisse vel negligere debeamus: ex opposito expressè mandat nobis, ut cum ipso nostros amemus proximos. Amare possumus amicos nostros, propinquos nostros, & etiam amari debent inimici nostri & peccatores ex amore ipsius: Et denique amare possumus omnia illa, quæ Deus amat, amando illum, sicut præcipit, ex toto corde nostro, modò plus omnibus amemus ipsum.

Sed amare omnia magis ipso, æstimare omnia, adhærere omnibus, loqui de omnibus, laborare, nosque fatigare longè magis pro omnibus, quam pro ipso, dum ipse negligitur, dum ipse oblivioni datur, dumque ipse ratione quâdam contemnitur à nobis, ut consecremus totum cor nostrum,

nostrum, æstimationem nostram, & affectus nostros creaturis; nonnè cæcum esse oporteat, qui non videt, impossibile sic esse observare primum & maximum præceptum, quod mandat nobis amare Deum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, & ex totis viribus nostris, quòdque nos obligat sub pœna peccati mortalis æquè ac omnia alia præcepta, sed fortius, sed indispensabiliùs cæteris omnibus præceptis legis Dei? Et tu, qui haberes remorsum conscientia, si commisisses homicidium vel furtum, eò quòd peccâisses contra præcepta Dei: Non occides, non furaberis; non sentias vel minimum in conscientia tua stimulum, quando absque intermissione peccas contra præceptum maximum, quod te obligat, ut ames Deum ex toto corde tuo?

Permittere dominium aliis amoribus, quàm amori Dei in corde suo, quantum crimen, quantum periculum.

Itâne? Contentus sis dicere duntaxat obiter, velut præludium Confessionis tuæ, quòd non amaveris Deum ex toto corde tuo? Et dicendo hoc credas, te dicere nihil dignum consideratione, & ne quidem cogites circa hoc elicere contritionem, & firma emendationis concipere proposita? Et eosdem permittas regnare amores in corde tuo, tot tantosque affectus erga centena crepundia, quibus afficitur & oblectatur cor tuum, & ex iis parva sua sibi fabricatur

idola? Tu nuncupas hæc inclinationes innoxias pro eo, quòd nuncupare deberes sacrilegas, eò quòd cor tuum suffurentur Deo, idque tam impensè occupetur illis, ut de nulla re alia admittat cogitationem? Et tu de alio non facis verba, & anima tua non alio distinctur negotio, dum interim oblivisceris Deum, dum nullatenùs ipsum amas, dum ne quidem de ipso cogitas, dum nullum de ipso misces sermonem, dum nullo erga servitium ipsius accenderis desiderio, dum denique accipis & adhibes ipsum, velut rem quamdam abjectissimam? Quanta cœcitas, si non videatur, peccari in hoc graviter contra primum & maximum præceptum, quod omnem obstringit animam sub pœnâ peccati mortalis, ut amet ipsum ex toto corde suo? Et taliter vivendo securus quis esse possit, se esse in gratia Dei?

Quis novit, an hæc causa non sit, cur tot sine intermissione reiteratæ Communiones ab omnibus Personis devotis, Presbyteris & Religiosis utriusque sexus nihil producant in ipsarum animabus? Si ignorent obstaculum quòd ponant gratia, considerent benè dispositiones cordis sui, quibus repletur & occupetur affectibus, quibus succendatur & ardeat amoribus. Eheu! peccatum nostrum fortassis scriptum est in
H h h h h capite

Laqueus, quo innumeræ capiuntur animæ, quæ se credunt esse devotas.

capite Legis Dei, & non videmus illud: Hæc præcipit nobis, ut amemus illum ex toto corde nostro, & ipse est, qui minimam cordis nostri possidet partem. Faciamus, quidquid voluerimus, quoad verè expulerimus è corde nostro omnem alium amorem, qui cor nostrum suffuratur Deo, quoad firmaverimus ibi absolutum amoris Dei imperium, quoad amemus ipsum, unico verbo, sicut nobis præcipit, ex toto corde nostro, & non ex parva parte cordis nostri; non speremus, nos recepturos ipsius gratias, vel augmentum illarum, quando etiam decies millena receperimus Sacramenta; & nullam concipiamus animo certitudinem, nos benè ambulare in via salutis nostræ.

Error quorundam novorum Doctorum putantium, quòd satis ametur Deus, modò non offendatur.

An credendum sit iis, qui dicere nobis volent, satisfieri magno præcepto amoris Dei, modò Deus non offendatur. Deus æterne! Deus Omnipotens! quàm horrenda doctrina! an dici possit, amare me aliquem ex toto corde meo, modò ipsum non occidam, vel ipsi non eruam oculos? Quis unquam credidit, quòd amor, quo prosequendus est verus amicus, non consistat in alio, nisi quòd ipsum nullâ afficiam injuriâ? Quid est ergò amare? Tu hoc nôsti, amator impotens tui, qui tuas amas divitias, tuas voluptates, tuam glo-

riam; tu nôsti, quomodò amandum sit. Ama Deum tuum, infelix, ama Deum tuum saltem, sicut tuum amas argentum, tuam voluptatem, tuam vanitatem. Pudore suffundor, dum adedò indigna tibi propono exempla, comparans Majestatem & bonitatem infinitam cum spurcitiis & pulvere terræ. Enimverò moriendum tibi erit præ pudore tui ipsius, quandò infinita hæc bonitas & Majestas in judicio suo exprobrabit tibi, quòd postposueris ipsum infamibus voluptatibus tuis; quòdque, cum benè sciveris, quomodò amandum sit infamis complex brutalitatum tuarum, nesciveris, quomodò tibi amandus fuerit Deus tuus.

Quæris, quomodò amandus sit Deus, ut satisfacias obligationi mandati maximi, tibi id præcipientis sub poenâ damnationis æternæ: aspice, quomodò ipse te amaverit. Nonnè ex toto corde suo! Interroga hoc lanceâ cor perforatum, voluit id habere os apertum, ut clamaret ad te voce sanguinis sui, quòd plus te amet propriâ vitâ suâ: Sic oportet amare. Nonnè ex totis viribus suis? Interroga brachia ipsius, tensa in modum arcûs supra Crucem, & omnes Corporis & animæ ipsius facultates occupatas ad conquirendum tibi regnum æternum: sic amare oportet ex totis viribus suis. Nonnè ex tota ani-

ma

ma sua? Aspice, quod nunquam aliquid egerit, nec unquam aliquid passus fuerit, nisi ex amore erga te, quòdque totum se devoverit, totum se consumpserit, totum se sacrificaverit pro salute tuâ, quòdque post consecrata tibi omnia momenta vitæ suæ, tandem pretiosam hanc vitam deriderit ex amore erga te. Sic amare oportet ex tota anima nostra.

Excessus amoris, quem Jesus Christus demonstrat nobis in Sanctissima Eucharistia.

Sed vide tandem, quomodo post acquisitum infinitum meritorum & gratiarum thesaurum, includat omnes has pretiosas divitias in Augustissimo suo Sacramento, ubi ipsemet includitur. Considera bonitatis ipsius excessum erga te, dum ejusdem tibi permittit usum tam frequentem, quoties te bene disponere volueris ad ipsum recipiendum: intue- re propriis tuis oculis infiniti amoris ipsius abundantiam, quando ipsemet in Persona ingreditur cor tuum in actu Communionis tuæ, ut afferat illi totum ingentem oceanum divinarum harum divitiarum. An bene capis omnem immensitatè bonorum, quæ affert tibi, omnes ipsius divinas satisfactiones, omnia ipsius merita, verum ipsius Corpus, ipsius Animam, ipsius Cor, cum omnibus bonis affectibus, quibus repletur? Omnia hæc apud te sunt, & omnia hæc tua sunt, & verè spectant ad te, quia donavit tibi. Non abriperis?

non alienaris animo, aspiciens infinita, quibus repleris, bona?

Hauri tuo commodo, & quantum volueris ex magno hoc gratiarum & meritorum Redemptoris tui Oceano: Dilata cor tuum, amplifica & extende animam tuam, quantum potueris, per mille desideria, per mille bonos amoris affectus, compara & lucrare tibi indulgentias plenarias & Jubilæum maximum; quoties communicaveris id facere poteris. Nam ecce tibi omnem thesaurum satisfactionum Salvatoris tui, qui tuus est; offer illum Deo pro satisfactione omnium pœnarum debitarum peccatis tuis, infinitâ ratione plura hic continet, quàm opus sit. Ama Deum tuum, & grates illi habe, & ipsum glorifica, quantum teneris, & quantum ipse meretur. Tu facere id potes; habes namque animam Redemptoris tui, donatam tibi in Communione: ipsa est anima tua, & omnes boni ipsius affectus tui sunt: adhibe illos, ut exsolvas Deo cuncta debita tua: Urge hæc desideria, hosque bonos affectus, quantum potueris, promove, & videbis verum esse, quòd bonus Sacramentorum usus efficacissimum sit medium, quod Jesus Christus reliquit nobis, ut abundantissimè hauriamus è thesauro infinitorum meritorum suorum.

Quomodo proficere aliquis mirifice possit recipiendo Sanctissimum Sacramentum.

Hhhhh 2

CON-